



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. 7. Qua intellectione, & quo amore personeꝝ producantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

Per quos actus intelligendi, & amandi producantur in Deo persone procedentes.

intellectum paternum, vt constitutum in actu ad intelligendum, sed constitutio illa non est tantum in actu primo, sed maxime in actu secundo, quia actus primus, vt potentiam receptiuam, seu actuabilem includit, non tribuitur Deo cum proprietate, quia imperfectiorem includit, ergo dicere Patris æterni est ab intellectu eius, vt constituto in actu secundo intelligendi, ergo est ab intelligere, vel illud in se includit. Confirmatur, quia, vt sæpe dixi, in Deo non est intellectiua potentia formaliter, & proprie, sed est purissimus actus intelligendi per se subsistens, ergo eo ipso, quod dicere Paternum est per intelligendi facultatem, vt talis est, esse debet per intelligere, vt intelligere est, quia facultas intelligendi in æterno Patre non est, nisi ipsum intelligere per essentiam. Denique licet demus, concipi posse a nobis actum intelligendi Patris, tanquam aliquid emanans secundum rationem ab intellectu Paterno, vt constituto in actu primo per suam essentiam in ratione spei intelligibilis: nihilominus hæc ipsa emanatio rationis debet intelligi prior secundum rationem in Patre, quam realis Verbi productio, ergo etiam secundum hunc concipiendi modum necesse est, admittere ordinem rationis inter dicere, & intelligere. Probatur antecedens, quia essentialia secundum ordinem rationis sunt priora notionalibus: item, quia prius Pater concipitur, vt in se perfecte constitutus in suo esse, quam vt actu producens, constituitur autem in suo esse per suum intelligere: quia actu intelligere est esse Dei, & Pater, vt sic constitutus intelligitur, & est perfectissime Deus. Vnde etiam ipse Scottus fatetur intelligere, vt est perfectio Patris, esse prius, quam dicere. Hinc vero concluditur, ipsum intelligere esse Patri principium, vel rationem dicendi, quia intelligere non supponitur in Patre solum materialiter, & identice ad modum aliorum attributorum, sed formaliter, quatenus constituit Patrem in perfectissimo gradu intellectuali, ac proinde fecundissimo cum omni perfectione.

15.  
Conclusio  
intenta.  
D. Thomas.

Concludo igitur, Verbum diuinum procedere per actum intelligendi, vt talis est, & Spiritum sanctum similiter per actum amandi, quæ est sententia D. Thom. dicta quæst. 27. articulo 5. & quæst. 34. articulo 36. & aliorum, quos reuli præcedenti cap. & in sequenti alios referam. Et late a nobis est explicanda in libr. 9. & 11. vbi de Personis productis in particulari agemus. Nunc satis probatur ex dictis, quia Pater producit Verbum suum dicendo, vt supra probatum est, sed non dicit, nisi intelligendo, non solum materialiter, sed etiam formaliter, quia ratio dicendi est ipsa intelligentia, vt probatum etiam est, ergo Verbum diuinum procedit per actum intelligendi, vt talis est. Quæ ratio cum proportione facile potest ad amorem applicari. Item, Pater producit substantiale Verbum, quatenus intellectualis per essentiam, & summe perfectius in gradu intellectuali, ergo producit, vt per se, & essentialiter, ac substantialiter intelligens, ergo producit per ipsum intelligere, vt tale est. Denique, inde probamus cum D. Thom. processiones tantum duas esse, quia tantum sunt duo actus immanentes in re intellectuali. At hæc ratio parum valeret, nisi actus ipsi intelligendi, & amandi per se concurrerent ad productiones, quia si tantum concurrerent, vel etiam antecedenter præsupponerentur, possent ad tres, vel quatuor processiones supponi, vel illas comitari, sicut bonitas Dei, vel iustitia, licet sit vna, admittit plures processiones. Est ergo formalis illa locutio, vt in sequentibus capitibus magis declarabimus, expediendumque difficultates circa hoc occurrentes.

Ex dictis omnibus, non solum expedita non est difficultas, & ratio, quæ Durandum, & Scotum mouit, verum potius est magis confirmata, & aucta. Nam si discursus facti validi sunt, probat secundam personam Trinitatis, quæ est prima procedens produci per ipsum intelligere essentialiter, nam hoc est, quod constituit intellectum Paternum in actu perfecto, sed illud intelligere est in alijs personis, ergo alia etiam producent Verbum. Eademque ratio est de amore seruata proportione, & ideo non amplius hoc reprobemus, sed de processione intellectus loquimur, nam ex illa facile est doctrinam ad voluntatem applicare. Ad soluendam ergo hanc difficultatem, hoc loco inquirimus, quis sit actus intellectus, per quem prima Persona secundam producit.

Potest autem in primis referri opinio Henrici quodlib. 6. quæst. 1. & in summa articulo 54. quam Scotus locis citatis capite præcedenti late refert, & impugnat, nos autem breuissime illam expediemus, quia parum habet utilitatis, vel probabilitatis. At ergo in summa Henricus, personas diuinas produci per intelligere, & amare notionale, & non per essentialiter. Quod dictum est proprium Henrici, vt videbitur, tamen modus explicandi illud singularis est. Distinguit enim in nostro intellectu, & voluntate duplices operationes, quasdam per modum simplicium passionum, alias per modum productionum. Item quasdam vocat tantum directas, alias reflexas, denique quasdam remissas, & quasi imperfectas, alias vero seruantes, & perfectas, & per proportionem ad has operationes, distinguit in Patre æterno duplex intelligere, aliud simplex, & quasi passiuum, per quod non producit, & hoc dicit esse intelligere essentialiter, aliud vero quasi reflexum, per quod producit, quod vocat notionale, & cum eadem proportione de voluntate loquitur.

Sed hæc & falsa sunt, & inutilia ad expediendam difficultatem. Primum patet, quia in nobis nullum est intelligere ita passiuum, vt non includat productionem: vnde nullum etiam est adeo imperfectum, vel remissum, quod non includat proportionatum verbum. Deinde in Deo nullum est imperfectum intelligere, neque remissum amor, neque etiam est actus intelligendi, qui eminentissimo modo non sit directus, & reflexus, quamuis sit simplicissimus. Vnde ipsum intelligere essentialiter omnem illam perfectionem intellectus habet, quam ipse Henricus tribuit notionali, quia & est perfecta comprehensio, & exacta manifestatio obiecti cogniti. Et similiter essentialiter amor tam seruans est, quam potest fingi notionalis, ergo ex his proprietatibus, & perfectionibus non potest reddi ratio, cur vnum sit productiuum, & non aliud. Adde, in Filio non solum inueniri intelligere simplex, vel directum, sed etiam exactissime representans, & cum infinita reflexione, quæ ad perfectionem spectare possit, & similiter Spiritus sanctus non remisse amat, sed ardentem, non minus, quam Pater, vel Filius, ergo distinctiones illæ non solum fictæ sunt, sed etiam nihil deseruiunt ad difficultatem expediendam.

Alij aliter distinguunt secundum rationem in Deo duplex intelligere: vnum essentialiter, & aliud notionale. Essentialiter dicitur esse omnino absolutum & commune tribus personis. Notionale proprium Patris, vnde per illud producit Filium, non autem per intelligere essentialiter. Atque ita expedite tractando. Et hoc ipsum est fundamentum huius sententiæ, quia

D

quia processio diuina est per actum intelligendi, vt probatum est contra Durandum, & Scotum, & non est per actum intelligendi essentialiter, vt probat ratio Durandi, quia ille est communis omnibus personis, ergo per actum intelligendi notionaliter, ergo necesse est, hunc duplicem actum saltem ratione distingui. Hanc opinionem tanquam Thomistarum refert, & impugnat late Torres 1. parte, quaestione 27. articulo 5. in 2. part. disputationis, & ante impugnavit Aureolus in 1. distinct. 23. agens specialiter de dilectione, putavit impugnavit D. Thom. eo quod aliquando D. Thom. dixerit, amorem dici in Deo & essentialiter, & notionaliter, seu personaliter vt patet 1. parte, quaestione 37. art. 1. sed immerito illam opinionem tribuit D. Thom. qui in sensu longe diuerso de amore essentiali, & notionali locutus est, vt videbimus.

telligens formaliter per verbum a se productum vt sic, quod est absurdum, & late impugnat ab Augustino 7. de Trinitate, capite 3. & libro 15. capite 7. Ac denique omnem intelligere est ad modum actus vitalis: relatio autem, vt sic, non habet rationem vitalis actus, sed solum est terminus diuinae naturae in ratione subsistendi: ergo nullo modo possunt illi duo actus intelligendi ita mutuo praescindi secundum rationem.

Venio ad illud membrum de distinctione illorum actuum per modum includentis, & inclusi, sic enim aliqui distinguunt duplex intelligere, essentialiter, & notionaliter, ita nimirum, vt intelligere essentialiter includatur in notionali, non autem e converso, nam hac ratione essentialiter commune est, non vero notionaliter: veruntamen hoc ipsum dupliciter intelligi potest. Primo, vt intelligere notionaliter ultra essentialiter addat aliquid formaliter pertinet ad rationem actus intelligendi, & sub illa quasi contrahat illum ad esse talis actus, sicut paternitas, verbi gratia, intelligitur addere aliquid supra rationem personae, vt sic. Et hunc sensum censio falsum: nam rationes proxime factae aequae contra illum procedunt. Quia neque intellectus diuinus est illo modo duplex, neque in ratione intellectus est amplius determinabilis, neque relatio vt sic, potest addere huiusmodi determinationem rei absolutae secundum propriam rationem absolutam. Relatio enim non determinat essentialiter, vt in latitudine essentialiter fit talis, ex se enim talis est vltimate: ita vero se habet intelligere diuinum, & essentialiter in ratione actus intelligendi. Praeterea, omnis actus intelligendi secundum vltimam rationem, seu determinationem suam attingit obiectum, & repraesentat illud, & est actus vitae. At relatio non addit actui intelligendi essentialiter habitudinem ad nouum obiectum, nec perficit habitudinem, quam ille actus ex se habet ad sua obiecta, nec addit illi repraesentationem aliquam, nec modum aliquem vitalem. Ergo non potest cogitari intelligere notionaliter, illo modo ratione distinctum ab essentiali.

Alio tandem modo cogitari potest distinctio rationis in ipso intelligere diuino per additionem aliquius conditionis personalis, seu relatiuae, quae necessaria sit, non quidem perse, ac formaliter ad intelligendum, sed ad producendum. Et hic sensus in re ipsa continet veritatem: per illum autem dicendi modum non recte explicatur. Tum quia haec vox, intelligere, non significat, nec connotat illam conditionem, vt Diuus Thomas voluit loco citato. Tum etiam, quia illud satis non est, vt dicatur esse duplex intelligere, sed vnum, & idem, vt coniunctum cum tali conditione, vel non coniunctum. Sicut essentia diuina considerari potest praecise, ac secundum se, & prout est in Patre, & non propterea distinguitur ratione, vt duplex essentia. Quis enim vnquam dixit in Patre, & Filio esse duas essentias ratione distinctas, eo quod in Patre est essentia ex se, in Filio vero per generationem? Nullus sane ac merito, quia illi modi habendi essentiam non pertinent ad essentiam, vt sic, sed ad constitutionem personae, sic ergo habere intelligere essentialiter a se, vel per generalem a Patre, non multiplicat ipse intelligere, etiam secundum rationem, quia illi duo modi habendi actum intelligendi non pertinent formaliter ad ipsum intelligere, sed ad originem, seu ad personalem modum habendi illud.

Dico igitur secundo, Tantum esse vnum intelligere in Patre, & in omnibus personis, diuerso tamen modo, vt ita loquamur. Nam in Patre est ante omnem productionem, vt propterea vere dicitur Pater habere illud a se: in Filio autem est communicatum a Patre, vt saepe ipse docuit Ioann. 5. 7. & 17. quod Patres interpretantur, communicatum illi esse per aeternam sui productionem. Atque ita

Hh 3 hac

Torres

D Thom.

Non esse ad actus ratione distinctos

6.

D Thom.

7.

Auguf.

8.

9.

ro. Intelligere notionale quid sit.

5. 7. & 17.

hac assertio ex superioribus satis probata est. Nam si in Trinitate non est duplex intelligere, necesse est, esse vnum. Quod autem in Personis distinctis sit etiam illis distinctis modis, ex ipso mysterio satis constat, & ex scriptura. Estque necessarium ad solvendum difficultatem in principio positam.

11. *Cui Pater per illud producat.*

Dico ergo tertio. Pater æternus producit Filium præter illudmet intelligere, quod commune est omnibus personis, quatenus illud à se habet, & non per generationem, hoc enim satis est, vt Pater per illud intelligere producat, & non Filius, nec Spiritus sanctus. Quia cum Pater illud habeat à se, & ante omnem productionem, recte potest communicare illud alteri personæ: communicare autem ex virtute, & fecunditate ipsiusmet actus: intelligendi. Sicut Diuus Thomas, alias docuit, essentiam, hoc solo, quod est in Patre absque generatione, esse posse virtutem ad generandum, quia illa persona nondum prodijt in actum generationis: in Filio autem, & Spiritu sancto iam non habet intellectus illam veluti virtutem, quia iam habuit actum sibi adæquatum, qui multiplicari non potest, vt dicemus in sequentibus. Et ita facile respondetur in forma ad difficultatem propositam. Cum enim inferitur, si vna persona intelligendo generat, omnes generare, quia omnes intelligunt, negatur illatio, quia non omnes intelligunt à se, sed aliquæ per intelligere communicatum ab alia persona, vt autem persona generet non satis est, quod intelligat, sed necesse est, vt à se habeat actum intelligendi. Ac propterea illudmet intelligere non habet omnia requisita ad productionem, nisi sit in persona, quæ sit prior origine, quam persona genita.

12. *D. Thomas.*

Atque hoc modo, & cum eadem proportione philosophandum est de amore, seu dilectione, quantum ad rem spectat. Quoad voces autem assignatur aliqua differentia à Diuo Thoma in illa questione 37. articulo primo. Nam in intellectu sunt nomina, seu verba distincta, imposita ad significandum vel actum intelligendi, vt sic scilicet, *intelligere*, vel actum producendi per intellectum, scilicet, *dicere*, vel terminum illius productionis, scilicet, *verbum*. In voluntate autem, ob penuriam amandi, productionem, & terminum, scilicet nomine *amoris*, vel *dilectionis*. Et hoc modo dixit D. Thom. ibi *amorem & essentialiter, & notionaliter sumi, non quia sint actus amandi distincti, vnus essentialis, & alter notionalis* (hæc enim distinctio nunquam apud ipsum reperitur:) sed quia ipse Spiritus sanctus vocatur amor, & productio eius vocatur dilectio. Proprie tamen amor essentialis est, & communis, & per illum producunt Pater, & Filius Spiritum sanctum, quatenus illum amorem habent absque emanatione voluntatis, vel à se, vt Pater, vel per generationem, vt Filius: & ideo licet ipsi per illum amorem producant, Spiritus sanctus nihilominus amando eodem amore nihil ad intra producit, quia iam supponit productionem amoris.

CAPVT VIII.

*Sit ne actus intelligendi, & amandi principum quo producendi, vel ipsa productio.*

1. *Opinio.*

Torres.   
 Auguſt.

Hæc erat alia difficultas, & interrogatio à Durando proposita, cui breuiter in hoc ca. satisfaciendum & respondendum est. Duas enim in hoc puncto sententias inuenio. Prior est, actum intelligendi vel amandi non posse esse principium quo productionis, sed productionem ipsam. Ita tenet Torres dicto articulo 5. parte 2. disputationis, quem sequuntur aliqui moderni. Primo, quia Diuus Augustinus libro

15. de Trinitate capite 7. & 10. dicit verbum procedere ex memoria secunda, memoria autem solum dicit intellectum constitutum in actu primo, ergo ille, vt sic, est proximum principium, ergo non quatenus est iam constitutus in actu secundo, per ipsum intelligere. Secundo nam philosophamus de productione diuina per comparisonem ad nostras productiones, sed in nobis principium producendi verbum non est intellectio, sed species, seu actus primus, ergo, & in Patre. Tertio, quia alias post actum intelligendi paternum intelligendus esset alius, qui esset per modum actionis, seu productionis, cuius principium esset actus intelligendi, vel non. Primum dicitur, quia vel illa actio est intellectio, vel non. Primum dicitur non potest, alias intellectio esset principium intellectiois, & sic vel esset duplex intellectio, vel esset principium sui ipsius. Si vero secundum dicatur, sequitur, non produci verbum per actionem, quæ sit intellectio.

Contrariam sententiam docuit Henricus quodlibet 6. quæst. 1. Cuius opinio quoad hanc partem mihi maxime placet. Censeo itaque optime dici, ipsum actum intelligendi paternum esse proximam rationem, & quasi virtutem, per quam Pater communicat Filio suo essentiam. Et idem dico de actu amandi in Patre, & Filio per comparisonem ad Spiritum sanctum. Quod probo primo supponendo essentiam diuinam (vt Diuus Thomas vult) esse potentiam generandi, quatenus est in patre. Quod ex sententia communi ita est intelligendum, vt essentia, quatenus essentia, sit radicale principium, & quatenus intellectus, sit principium proximum per se ipsum, & essentialiter est actus vltimus intelligendi, ita vt in Deo non tam sit intellectus, quam ipsum intelligere, quia intellectus dicit potentiam, intelligere autem dicit actum: ergo si intellectus est principium proximum à fortiori ipsum intelligere.

Secundo declaratur ex differentia supra in sinuata inter Verbum diuinum, & humanum, quod humanum ad hoc producit, vt constituat productionem in actu secundo intelligendi: Verbum autem diuinum non producit, vt constituat Patrem intelligentem, vt recte probat Augustinus loco de Trinitate proxime citato. Quia Pater non producit ex indigentia, sed ex abundantia, & fecunditate, nec recipit aliquid à Filio. Hinc ergo est, vt principium quo Verbi humani fit actus primus, scilicet, species, respectu autem Verbi diuini sit ipsemet actus intelligendi. Nam vt recte Augustinus supra concludit. *Verbum Dei est sapientia genita ex sapientia generante*, ita vt illa abstracta pro cœteris, seu personis sumatur. Ergo pater, quatenus infinite sapiens producit Verbum eadē infinita sapientia sapiens: ergo ipsamet sapientia Dei, quæ nihil aliud est, q̄ actus intelligendi eius, est proxima ratio illius communicationis. Tertio denique quia non potest recte intelligi (maxime iuxta opinionem eorundem Thomistarum) actum intelligendi esse per modum actionis, ergo debet intelligi per modum principij, quia non potest cogitari tertium membrum, vt recte colligit Durandus. Antecedens declarabitur melius, & probabitur respondendo ad argumenta.

Ad primum ergo ex Augustino in primis respondeo, ibi magis loqui de intellectu humano, quam de diuino. Et quamuis declaret virtutem Patris ad generandum per analogiam ad memoriam hominis fecundam, non est necesse, vt comparatio teneatur omnibus, & in his præsertim, quæ inuoluntati imperfectionem, huiusmodi autem est, quod memoria humana intelligatur fecunda, quatenus est in actu primo, & non quatenus iam est in actu secundo. Vnde dico vterius, intellectum, seu memoriam æternam Patriæ